

DE
E V E N T V 1775-1^E
FEBRIVM MALIGNARVM
SAEPE FVNESTO
OB PLETHORAM

37210 A

EX AVCTORITATE
ET CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
PRAESES
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

POTENTISSIMO BORVSSOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS,
MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
FACVLT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO,
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.
NEG NON BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI,

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
SOLEMNITER CONSEQVENDIS

D. . IVLII MDCCCLXXV.

B. L. Q. C.

PVELICE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS IMMERMANNVS
STENDALIENSIS.

HALAE SALICAE AERE HENDELIANO.

4)

D A I E H I T V
EBRIUM MALIGNARVM
SAEPE TUNESTO
OB PLAGIS HONORVM

A. C. CELSVS

de Medicina Lib. II. Cap. VI. sub fin.

Coniecturalem artem esse medicinam, rationemque coniecturae talem esse, ut cum saepius aliquanto responderit, interdum tam fallat nos. — Siquidem etiam spes interdum frustratur, et moritur aliquis, de quo medicus securus primo fuit. — Sed est tamen medicinae fides, quae multo saepius, perque multo plures aegros prodest. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse et salutis, et mortis.

GRADUS DEDICATI
SALVATORIBVS
HONORIBVS
ET LIBERALITATIBVS DOCTORIBVS
INSTITUTI
ACADEMIA
PHYSICO-MATHEMATICA
ET MEDICO-HISTORICA
SANCTI PETRI
ACADAMIA
ARTS LIBERALIAE
GASTONIANA

PERILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
STEPHANO MARTINO
SCHVLTZE

POTENTISSIMI DANORVM REGIS
CONSILIARIO INTIMO STATVS ET IVSTITIAE

MAECENATI, PATRONO ET AVVNCVLO SVO

OMNI PIETATE, AMORE, REVERENTIA ET SVMMA
ANIMI SANCTITATE DEVENERANDO

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE
GRATISSIMAE SVAE ATQVE IMMORTALIS
MEMORIAE ET MENTIS DEVOTISSIMAE
TESTIMONIVM
PRO
TANTIS ATQVE INNIMERIS TAMQVE
PRAECLARIS IN SE COLLATIS BENEFICIIS
CVM
ARDENTISSIMO VOTO
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE INCOLVMITATIS
ET PROSPERITATIS,
SEQVE VLTERIORI EIVS PATROGINIO
AC FAVORI COMMENDATVM CVPIT
ATQVE TRADITVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS ET OBSEQVENTISSIMVS
IOANNES FRIDERICVS IMMERMANNVS.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
E V E N T U
FEBRIVM MALIGNARVM
SAEPE FVNESTO
OB PLETHORAM.

C A P . I.

D E

F E B R I B V S M A L I G N I S
I N G E N E R E .

§. I.

Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re insti-
tutio cum philosophorum mutu ac consilio debeat
a definitione profici, vt inde eluceat, quid sit
id, de quo disputetur: operae erit pretium, vniuersam et propriam
A fe-

2

febris malignae vim definite distincteque designare. Prius vero,
quam fumina huius rei adgredi licet, multae notiones ex Patho-
logia hic praemitti possent, si quis necesse id arbitraretur. Sed
quoniam aliae ex illis nihil noui in se continent, imo etiam in re-
centiorum systematibus iam rite ac breuiter sunt illustratae, illas
adducere non innuat, ne ea, quae vel sexcenties et quidem me-
lius dicta scriptaque sunt, ad naufragium vsque repetamus.

§. II.

Vt autem tractatio mea bene succedat, et argumentum pro-
positum terminis suis arctissime dilucidissimeque circumscrribatur,
quasdam ex rebus perspectis planeque cognitis praesaminis loco,
cei principia rei determinandae sicco pede transire non praefat:
alias enim nihil firmum, ratum, atque recto ordine definitum ha-
beremus. Constat idcirco inter omnes medicinae peritos, totum
C. H. ex solidis et fluidis esse constructum formatumque, quae
sigillatim pro sua natura ac indole variis implicari possunt morbis.
Hinc duplicitis generis *morbi* nempe *solidorum* et *fluidorum* pro-
ueniunt.

§. III.

Porro obseruationum beneficio liquet, talem quorundam
morborum esse naturam ac indolem, vt semper intra statutum quad-
dam tempus soluantur. Quod autem in aliis non ita contingere
solet, qualiscunque demum fuerit istorum solutio. Illud in febri-
bus malignis, inflammatoriis deprehenditur, quae plerumque ex-
perientia testante uno aut altero septenario cursum suum absol-
vunt: hoc vero in febribus intermittentibus, malo hypochondria-
co, hysterico etc.; qui morbi diuersis temporibus modo longiori-
bus modo brevioribus ad sui solutionem tendunt. Ne dicam, quod
in supra dictis aegri de vita mortisque periculo dimicent, qui que
morbis simul intra breve tempus decurrunt; vti medicorum anti-
quissimi in scriptis suis memoriae prodiderunt. Conf. A. C. CEL-
SVS Libr. III. Cap. I. GALENV Tom. IV. de diebus decretoriis,
Liber.

Libr. III. Cap. XIII. C. AVRELIANVS de morbis acutis et chronicis, Libr. I. Cap. V.

§. IV.

Inde facile collegeris, quinam morbi acutorum nomine insigniantur, illi nimirum, quorum solutio naturaliter, i. e. sine ullo adhibito remedio, semper certo temporis spatio fit, quique matre aegri vitae infidias struunt infestissimas, et breui tempore finiuntur. His autem e diametro oppositi ad chronicos recte referuntur.

§. V.

Omnium febrium causa praeeunte Pathologia in putredine, quam humorum contraxit massa, vel in alia querenda est ratione. Eiusmodi autem esse febres, quarum causa in putredine sita, obseruationibus confirmatur. Febris enim homines nonnumquam tentantur, in quibus plurima et primaria putredinis signa reprehendere possumus. Quae scilicet intima corporum solutione et materiae alcalinae volatilis euolutione, hinc sapore foetoreque putrido, nec non praecipue, si maiorem putrefactio affsecuta sit gradum, vi alia corpora eodem modo inficiendi, se se nobis ostendunt. Sed de his infra pluribus.

§. VI.

In iis fundamentis, quibus Pathologi uti solent, ad febrium genera determinanda, in primis earum typus est ponendum. Hac ratione igitur febres dividuntur in *continentes*, sive *continuas non remittentes*, in *continuas remittentes*, et in *intermittentes*. Febres continuae remittentes quotidie quidem in aegro obseruantur, eo tamen discrimine, vt quouis die per aliquot horas mitigentur, et intra hoc tempus a vehementia sua paullulum remittant, antequam decursum suum plenarie absoluunt. Huc, exemplo vt vtar, pertinet febris catarrhalis, aliaeque.

A 2

§. VII.

§. VII.

Quibus nunc praemissis rite febris malignae definitio superstrui, eiusque propria attributa erui possunt. Qui enim hac nostra decumbunt, horis vespertinis peioris sunt loci et conditionis, quod etiam fere totam per noctem durat, ita, ut demum horis matutinis aliquantulum releuentur refocillenturque. Recte igitur retuleris *eam* propter symptomatum febrilium remissiones ad *continuas* easque *acutas* (§. §. VI. IV.), quod nunquam non certo quodam tempore naturaliter solvatur, cito terminum obtineat, ac iam primo intuitu vitae cuiusdam sit insidiosa. Et si forte obtingat, ut in febre continua acuta id, quod §. V. diximus, obseruetur, bene eam dixeris *malignam*. Sic nonnisi ea, quae rei definitae constanter insunt, nec ab ea se iungi possunt, attributa essentialia, vt vocant Philosophi, recensuimus, vtpote. quae ex obseruationibus legitime institutis desumpta arbitreris, prout rei historia iam iam subiungenda, vberius demonstrabit.

§. VIII.

Obseruationes infirmi docent, has febres sequentem in modum afficere homines: inuasio illarum admodum est varia; interdum enim illae vix conspicuae subrepunt, atque ita mites et subdole incidentes hostilitatem suam ac malitiam adeo dissimulant occultantque, ut medicus et aeger haud raro fallantur decipienturque; vnde id saepe etiam venit, quod hae febres ita blandientes non aperto Marte homines inuadant, sed subdole infidioseque per totum corpus serpant, et clanculum agendo medico, aegro, incertis aliisque adstantibus infidis, profusisque fallacibus signis implicant fraudem, ut aegri citius fere, quam aegrotare se sentiunt, in vitae discrimen praecipitentur, contraque medici et adstantium expectationem animam efflent. Vnde tritum ac peruulgatum illud: aegrum in malignis aliquando praefente *pulsu bono crinique bona mori*. Et recte iudicat, qui admodum difficilem cum SENNERTO *Epitom de febr. Libr. IV. Cap. X.* harum febrilium cognitionem arbitretur, cum nempe malignitas saepe diu lateat, et non nisi

vbi

vbi vires sumserit se prodat. Perbene quoque *Ill. G. W. WEDELVS in Pathologia sua medica dogmatica Se^t. I. Cap. VII.* banc indolem depinxit: malignus, seu mali moris, morbus dicitur, a similitudine perfidorum, subdolorum, sive hominum sive brutorum. Aemulantur enim canes, qui non latrant, sed a tergo mordent, insidiatores, qui ex improviso irruunt et occidunt, vel supplantes. Vti vero in noscendis moribus magna opus est prudentia, ne candidum habeamus pro subdolo, vel simulatorem pro candido: ita quoque hoc loco res se habet. Maligni sunt morbi, qui in recessu saeuitiem, tyrannidem, impetum et gradum ipsum, adeoque symptomata habent apparenter minora mole et aestimio leuiora; in recessu tamen longe grauiora, imo grauissima, vt, quando minus vel minime omnium periclitari videantur, opinione citius subruantur, vel deterioris habeant. Maligni inaequalitate, dolositate sunt pericolosi. Omnia in malignis sunt inaequalia, in primis ipsae vires. Cum enim spiritibus insidentur praeципue, non potest non motus, et vis elasтика eorundem effectus plurimum impediiri. Non tantum adest debilitas, quae, quo maior, eo malignior saepe morbus est, sed maxime inaequalitas. Nonnunquam enim aegri se plane laborare vix credunt, et visi sunt peste corrupti, eosque mansisse, vel quasi orthostadii, donec corruerent subito. Nonnunquam de nullo alio conquerentes audias, quam de virium debilitate, sic waren nur matt. Inaequalis est delectio vitrobie, aut visuntur debiles, cum summa virium pauperie, nec calor tamen tantus adest, sed blandus appetet, aut non adeo debiles, et pulsus et reliqua non respondent. Infida igitur et subdola signa sunt, urina bona, pulsus bonus, quamquam solum apparenter magis, aeger tamen moritur. Calor maximus, velut igne Vesuviano exurit, fitis nulla, vnde non potest non periculum esse vitae coniunctum maximum. Malignitas sua quoque gaudet latitudine. Haec tenus WEDELVS. Ab inuafione autem permulta alia adhuc obseruantur symptomata iamduum recensenda, de quibus statim admonendum est, non vnam esse eandemque eorum rationem atque constantiam, sed magnam ipsorum varietatem pro-

varia hominum, febrili eiusmodi impetu tentatorum conditione et constitutione deprehendi. Rectam igitur ETTMÜLLERVS *Op. omn. Tom. II.* de his febribus tulit sententiam, symptomata his in morbis adeo esse simplicia, ut nullum sere infrequens et extraordinarium detur symptoma, quod non subinde vna alteraque maligna febre occurrat. Ea igitur signa et symptomata hic non solum narrabo, quae his febribus vere competit, sed etiam leuiter attingam, quae iis superueniunt, vel reliquis febribus sunt familiaria, et imminentis periculi instantisque mortis sunt indices. Docent nimurum obseruationes luculentae, febres malignas plerumque horis pomeridianis inuadere, cum totius corporis languore et spontanea laffitudine artuumque grauitate, et horrore, qui pro rerum, quae circumstant, diuersitate, nunc leuior est, nunc grauior, nunc breuior. Aegrotantes hoc modo sentire capitis lumborumque dolores, omnes cibos fastidire, praecipue ex regno animali, gustum esse corruptum, quasi a rebus putridis, et ex ore emittere halitum cadaverofum, quem haud raro vomitum satis molestum subsequi. Illos porro iam ante instantem horrorem de anxietate circa praecordia conqueri grauissima, quae subierto horrore et post eundem magis magisque increscit; porro de subieta, insolita, planeque singulari virium prostratione, qua aeger absque manifesta causa opprimitur, adeo, ut artus pertusi videantur, nec in lecto aeger erectum situm seruare queat, quaeque virium prostratio in toto morbi decursu obseruetur, et citra aliam causam maior est, quam status et febrium conditio alias inducere soleat. Idque ipsum est symptomata, quod primarium maximeque pathognomonicum ab omnibus habetur. Nam aegri de hoc solo conqueruntur saepe: et tunc anguem viridi sub herba latere, certum est. Dein liquet, horrorem excipere aestum satis moderatum, horis matutinis paullulum immutum; pulsusque esse celerem, quamvis debilem, perquam exiguum, facieisque plane obscurum, ita, ut omnem sere tactum supterfugere videatur.

§. IX.

§. IX.

Posthac non infrequenter in febribus istis animaduertitur animus tristitia oppressus, qua tentati quaevis ominentur pessima, vt aegri a se ipsis diffideant, et spei reconualefcientiae omnem, licet praeter rationem, abiiciant. Alio autem tempore sine omni apparente causa gaudio exsultant, continue rident, quod pessimum habetur. Porro tanta nonnunquam mentis infensibilitate mouunt praediti, vt nullis rebus, vel gratis olim, vel ingratiss moueri possint. Sensus tam interni quam externi valde sunt obtusi. Faciei color, oculorumque splendor et viuacitas perit. Oculi inuitis aegris sine omni visibili irritamento illacrymantes interdum apparent, non vt in febribus catarrhalibus benignis, vbi etiam oculi inuitis aegris lacrymas effundunt. Deglutitio interdum, sine omni faucium tumore, aliena causa eudente est impedita; nec non haud raro obseruatur lingua extendendi impotentia, impeditaque oratio absque omni apparente partium vitio suborta. Respiratio nonnunquam est salua, alio autem tempore crebra cum suspiriis interrupta, anxia, et interdum adeo anhelosa, vt nomini costis claviculisue maxime eleuatis peragi possit. Sitis mox est inextinguibilis, mox etiam nulla, et si lingua sit arida, multusque aegrum teneat calor, praesertim in sensuum habitudine. Lingua primis diebus albo muco tenaci est obducta, post scabra, fissa, arida, perinde atque in iis, qui per sanitatem hiantे ore obdormiunt, in morbi autem incremento rigida, nigra, vel obscurioris aurantium coloris, ipsis aphthis obsessa conspicitur, cum faucibus faepius inflammatis. Sordibus valde nigris labia et dentes conspurcantur. Vrina interdum est aquosa, parca, fanae similis, cruda et iumentosa, quin etiam nullum ex vrina desidit, ingrauescente vero morbo obscurior euadit et nonnunquam sere nigra, foetoremque spargit putredinosum. Signum igitur plurimis in casibus ex vrina est fallax: quamobrem frusta lotium offertur medico, quum lotium inspicere non solum plerunque sit superfluum, sed etiam praecipue, si vrina spirat foetorem putredinosum, pestiferum, quoniam ex virinarum circumgestatione non modo qui desert, sed etiam me-

medici eorumque familia nonnunquam contagio polluitur, vt exempla plurimorum excellentissimorum medicorum edocent, qui multis cum arte sua prodeesse potuissent, aliorum impudentia et curiositate infecti, immatura oppetierunt morte. Cutis vix calorem praeter naturalem exhibet, et si vda fuerit, sudores emitit foetentes, valdeque acres, diutiusque tacta sensus ardoris digitis imprimit, vti in pulsu explorando saepe saepius obseruerunt medici. Pessimum autem est, si externis frigentibus interna ardeant; si vrina et faeces odorem graueolentem et cadauerosum spargentes insciis aegris abeant secernanturque, et alii excretorum color in liuidum et nigrum mutetur; si tendimus subsultus auctiores accedunt, et stertores, et sudores frigi et cadauerosi, singultus affectusque syncopici; si febribentes flocculos legant, miascas venenatur, aliaque huius generis faciant, quo me hercule! in statu misserrimo, actum est de male affectis.

§. X.

Neque minus occurunt in his febribus lipothymiae et vertigines, praesertim dum ad erectum situm tendant aegri, imo deficiens somnus, vel etiam affectus soporosi, et stupida seu obliuiosa mentis affectio. Nec desunt capitis grauitates et dolores, succedunt etiam deliria, tristia rarius paullo cum illacrymatione, frequentius cum risu, frequentissime vero cum furore, ipsaque metuenda phrenitide; motus spastici et conuulsui, et artuum praecipue linguae labiorumque tremores, oculi interdum torui, sibi diffimiles, apparent, eorumque bulbi dolor profundior, interdum quoque aegri visu turbido afficiuntur, aurium timitu, fusurro, auditu difficulti, ipsaque surditate. Nonnunquam emergunt haemorrhagiae sudoresque copiosi, quae quidem res, ceteris non paribus, semper maiorem notat malignitatem. Abdomen in vehementiori morbo tumere solet, ab aere in eius cauitate per putredinem refacto, quem statum *meteorismum* appellare solent medici, et quem HORSTIVS obseruauit. Denique corpora exhalationes spar-gunt modo allio, modo vrinæ putridæ similes, modo vapidas,

mo-

modo subducas, modo subacidas, adstantibus non parum pestiferas. Eruptiones illae cutaneae, *exanthemata* a medicis dictae, valde iterum sunt incertae. In quibusdam nullae, incertoque tempore, ordine, loco, numero, coloreque diuerso et qualitatis et figurae schemate apparent. Praeprimis autem hae febres ad producendas inflammations quam maxime pronae deprehenduntur, in iis enim faciles admodum aphthae, phrenitides, paraphrenitides, aliaeque inflammations internae; facilis quoque gangraena et sphacelus obseruatu.

§. XI.

Malignitatis gradui semper symptomata haec respondent, sic ut in altero subflecto sint mitiora, in altero acerbiora. Sunt nempe diuersi putrefactionis indeque productae rarefactionis gradus in massis putrefactibus, quod chemia dicitat. Quum vero plurima symptomata, quibus febres malignae stipantur, sint effectus putrefactionis et rarefactionis, effectus autem causis suis semper congruere debeant, necesse erit, ut maior putrefactionis et rarefactionis humorum gradus maiores, minor vero minores producat effectus. Diuersi igitur symptomatum, quatenus ab ipsa febre maligna progignuntur, gradus in his febribus non deerunt, quocum obseruationes probe consentiunt. Quae etiam symptomata maiora capiunt augmenta, si aliae determinationes, sive internae, sive externae accedant, quae nunc hoc nunc illud aliqua ex parte exacerbare valent symptoma. Quo maligniores igitur istae febres sunt, et quo acerbiora omnia deprehenduntur symptomata: eo citius etiam decurunt, ita, ut vix vnum septenarium superent, et quarto die iamue prius homines enecent: cum contra aliae, quibus mitior malignitatis gradus adhaeret, ad duo, imo tria septenaria, et quod excurrit, ast ratius, protrahuntur.

§. XII.

Docet porro experientia certissima illa veritatis magistra, febres malignas plerunque pomeridianis ingruere horis (§. VIII.),

B

fem-

semper magis magisque ingrauescere, totam fere per noctem exacerbari, horis demum matutinis saltet quadantenus a vehementia sua remittere, sic ut perpetuo obseruare liceat, aegrotantium ex febre maligna status horis matutinis quam vespertinis existere tolerantiores. Ad salutarem harum febrium solutionem quod attinet, annotandum est, eam fieri optime per moderatam feri euacuationem peripherici. Nunquam enim se harum febrium aliquam cognouisse affirmat HVXHAM *Op. Phys. med. Cap. VIII.*, quae perfecte iudicata sit aut sublata, donec maior aut minor eruperit fudor moderatus, calidus, aequalis, per totum corpus diffusus, praeceps si circa morbi statum accesserit, et ante eius eruptiunem pulsus paulo liberior, mollior et tranquillior, quin etiam eo durante ita manserit. Interim tamen non negamus, alios solutio-
nis modos dari, quibus materia morbi ex humorum oceano eiici, aegrique cum his febribus conflictantes ex ipsis orci fauibus eripi possint. Nam si materia febrilis per assumpta ipsi primae culinae est immissa: tunc, saluis aliis omnibus, etiam solutio salutaris per aluum locum habet. Quorsum porro spectant excretio
vrinae, delationes materiae malignae ad peripheriam, ut ibidem in exanthemata abeat, vel metastases ad glandulas maiores, e. g. parotides, subaxillares, inguinales: omnes fere aliae excretiones sunt suspectae et periculosiores. Omnia haec determinato modo si eueniunt, consentientibus aliis omnibus, morbus decrescit, et ad pristinam redit sanitatem aeger; sin autem minus, quando nempe excretiones modo nominatae, vel plane non succedant, vel nimio cum impetu fiant, vel intra statutos febris dies non obtingant, vel materia maligna ob causas modo internas modo exter-
nas ad loca magis interna recedat, nisi reuocari possit, cum ingrauescientibus symptomatis omnibus, refrigeratione extre-
rumque tremore, maxima visus obscurazione, hanc ob causam, et quidem pro diuersitate subiecti, eius status praeteriti, alliarumque circumstantiarum, apoplexia, catarrhus suffocatiuus, aut inflam-
mationes viscerum nobiliorum perniciofissimae, quae quidem subito in sphacelum ruere solent: tunc funestus euentus obseruatur.

§. XIII.

— — —

§. XIII.

Atque eadem rerum perspicientia nos docet, corpora eorum, qui his febribus ingulantur, post mortem longius, quam qui aliis morbis decesserunt, non nihil caloris retinere, membra flaccescere, in genis ruborem esse diffusum, adeo, ut defuncti cognati per aliquot temporis spatium vix sibi persuaderi patientur, illum ipsum reueira esse mortuum, sed breui interieicto spatio phaenomena conspicuntur, quae omnia dubia dissoluunt. Non ita multo post, si exspirauit iste aeger, interdum tenuis sanguis ex ore et naribus promanat, qui, licet addantur acida, vix coagulatur, et, uti totum corpus, abominabilem spargit foetorem, et cadaverosum, sic quoque omnes partes liuescunt, nigrescunt, tumescunt, atque tanta celeritate putredinem subeunt, ut quasi diffusre videantur: quapropter necesse est, horum corporum sepulturam accelerare. Hem, quanta ex febribus malignis vobis imminet, o mortalis, malorum feges!

§. XIV.

Ex quibus experientiae beneficio cognitis harum febrium malignarum phaenomenis rite instituto ratiocinio elici poterunt, quae ad earum naturam ac rationem dilucidius intelligendam requiruntur; nimur fluida in corporibus febre maligna adflictis ad putridam vergere corruptionem, indeque productam humorum refactionem (§. §. V. VII.), quod ex sequentibus §. §. sponte fluet.

§. XV.

Febrium malignarum fides et causa prima et praecipua in ipsis C. H. fluidis est quaerenda, tradente id Pathologia. Fluida autem C. H. nullo modo cire possunt morbos, nisi illorum motus, aut quantitas aut qualitas a statu ordineque naturali aberret. Quum vero neque ex fluidorum diuerso motu, neque ex eorum vitiosa quantitate eluceat, quomodo inde febrium malignarum indoles et talia phaenomena dirissima, a nobis in antecedentibus descripta, (§. §. VIII. IX. X. XI. et seq.) produci possint, ni-

hil restat quod dicas, nisi in febribus malignis vitia qualitatis fluidorum adesse. Quae morbosac fluidorum qualitates, dum ex sua mixtione ducunt originem (per. pr. pathol.): necesse fane est, ut in febribus malignis fluidorum mixtio a statu sanitatis omnino recedat, seu vt deprauata fluidorum mixtio locum habeat.

§. XVI.

Omnium corporum animalium id est commune, quod illa, si motus humorum progressiuus cesset, eorundemque motus intestinus adaugeatur, perfacile putrefcant, id quod teste experientia alia adiecta materia iam putrefcente, quae tunc fermenti instar est, eo facilius obtингere solet. Ut si duo vasā recenti sanguine impleas, quorum alteri sanguinis iam putridi paullulum iniectum, altero vero puro seruato, tunc reperies, certe sanguinem cum putrido commixtum multo citius putreficeri puro et illibato seruato. Quod etiam experimeto ab III. PRINGLE cum recentis ovi viello instituto praecclare confirmatur. Quisnam autem est, qui nesciat, corpora, si in putredinem abire coepirunt, exhalationes emittere modo vrinae putridae similes, modo alliatas, modo vapidas, modo subdulces, modo subacidas, istaque corpora, si eorum putrefactio sumnum affectuta sit gradum, foetorum spirare cadaurosum, idemque in corporibus febri malignae obnoxii obseruantur (§. X.)? Qui enim ipsis morbis laborant, eorum exhalationes eundem spargunt odorem, quam alia corpora animalia, si putreficerent; et qui tali modo intereunt, eorum corpora non ita multo post finito motu fluidorum progressiuo, intestino vero adacto in plenariam transeunt putrefactionem, sive expanduntur, ut turgescant, lievescant, nigrescant, foetorum spirent abdominabilem, et in liquamen quasi resolui videantur (§. XIII.), uti satis accurate testantur obseruationes. Quas quidem mutationes recta ac firmissima putrefactionis argumenta habento, quum protinus post mortem ad tam insignem perueniant gradum, id quod tanta celeritate nullo modo fieri posset, nisi putrefactio quaedam, cum adhuc in viuis essent, inhaesisset, qui his febribus decesserunt:

alio-

alioquin tales mutationes repentinae et acceleratae in eodem gradu, simulque statim post mortem, in corporibus aliis morbis consumptis, obseruaretur, quod vero nemo affirmare animum inducit, quin omni experientiae repugnet. Ex his igitur putrefactionis effectibus confici potest quam facilime, materiam putridam inesse corporum fluidis, quae febribus malignis opprimantur. A simili enim effectu argumentari licet ad similem causam.

S. XVII.

Vix ac ne vix quidem aliquem esse, arbitror, qui mili obiciat, viuo homine putrefactionem massae humorum fieri haud posse, quia in hoc casu vita omnino superesse non potest, dum putrefactio requirit, ut motus humorum progressius plane ceflet, quem alio pacto putrefactio nullum habeat locum. Ego enim neutquam statuo, perfectam massae humorum putrefactionem in febribus malignis adesse, quae etiam ad harum essentiam non requiritur, antequam enim haec fit, mors vtplurimum tragediae finem facit, propter partium ad vitam necessiarum destructionem, quae de causa plenaria putrefactio tantummodo et quidem statim post mortem sentitur, quod perfectae putrefactionis effectus tum satis superque commonstrant (§. §. XIII. XVI.). Ut vero in rerum natura unumquodque suis gaudet gradibus, sic hoc quoque de massae humorum putrefactione in febribus malignis valebit: quia numc iam in vita his febribus correptorum quidam putrefactionis effectus apparent (§. §. VIII. IX. X.), et ab effectibus omnino valet consequentia ad causas, sequitur, ut certus quoque putrefactionis gradus adsit. Quum autem adductae corporum mutationes semper post mortem ad insigniorem prouenientes gradum (§. §. XIII. XVI.) sint quoque effectus putrefactionis manifestissimi: non est, quod dubitemus, quin putrefactio adsit perfectissima. Pluribus quidem hoc communltrare possem, nisi vererer, ne nimis forem prolixior, quam disputationis limites permittant. Ad ea itaque experimenta potissimum prouoco, quae *Ill. D. D. NIETZKI, Fau-*
tor atque Praeceptor meus optime de me meritus hac de re ante

aegrotantium strata febre maligna decumbentium instituit, inque eius *Elem. Patbol. Vn. Cap. CXLI. f. MDLII.* exstant.

§. XVIII.

Quamvis in febribus malignis toti humorum massae quidam putrefactionis gradus adhaereat, demonstratu tamen haud difficile mihi videtur, hanc corruptionem putridam praecipue in fluido lymphatico - seroso suam habere sedem. Fluidum lymphatico - serosum in vasibus suis admodum exiguis multo tardius ipso sanguine circumagit, docente id Physiologia. Sed cum sub lentiori fluidorum motu progressiu motus intestinus putrefactorius crescat, praeferunt si iam tota humorum massa putridis particulis abundet, sequitur, ut corruptio putrida in massa lymphatico - serosa inprimis reperiatur. Id quod in causa est, cur in febribus malignis illa praecipue loca afficiantur, quae p[ro]ae aliis pluribus vasibus lymphatico - serosis sunt instructa. Quae quidem loca sunt glandulosa. Quod bubones pestilentiales aut aliae metastases circa parotides aliaque loca glandulosa obortae in ictis febribus sat[is] abunde testantur.

§. XIX.

Imminuto fluidi cuiusdam animalis motu progressiu eiusdemque motu intestino adauito, quo nempe putrefactio absoluatur, illud tantopere resolutur et attenuatur, ut omnem fere suam amittat densitatem, adeoque rarefiat: quo maior enim putrefactio, eo magis etiam rarefiunt humores, praecipiente id Chemia. Id ipsum autem sanguini obtингere posse, nemo, opinor, v[er]inquam inficias ibit, cum illam sanguinis rarefactionem in febribus malignis obuiam sensuum ope nobis clarissime perspicere liceat. Si igitur modo quis sanguinem eorum, qui his febribus disficiuntur, haemorrhagiarum vel naturalium vel artificialium ope interdum prolicitum, accuratius inspiciat, assertionem meam ambabus amplectetur. Hicce sanguis omnino est tenuis nimisque dissolutus, peraeque in coagulum abit, nonnunquam liuidus, sed mox in sanguinem putridam difflit,

difflit, et foetorem spirat abominabilem, quod obseruationes probe manifestant.

§. XX.

A re nostra alienum videtur, causis remotioribus, a quibus febres malignae accenduntur, recensendis explicandisque hic vbe-rius immorari, quum iam decantatae sint, inque omnibus Pathologorum libris satis superque demonstratae: quanobrem ad febrium malignarum symptomata enucleanda me accingam. Haec autem, quae febres malignas comitantur, partim ex notione febris continuae acutae, partim ex qualitatibus materiae putridae sanguini rarefacto inhaerentis deriuari possunt. Putrefactio enim vna cum humorum rarefactione in febribus malignis causam constituit sufficientem, unde symptomata quaedam, tamquam effectus produci possunt.

§. XXI.

Putrefactio est modus, quo corporum animalium cohaesio imminuitur, illaque destruuntur (per pr. chem.). Quoniam autem putridum in humoribus magnopere attenuatis oberrat, atque per totum corpus est disperfum, non potest, quin illud singulas omnesque partes solidas adgrediatur, partimque solidarum C. H. cohaesio minuatur. Quum autem solidis C. H. partibus, cohaesione earum aequo plus imminuta, debilitatem attribuere soleamus: exinde eluet, quantopere ab vniuersali humorum putrefactione C. H. debilitari possit. Quae vero debilitas in febribus malignis conspicua aliis causis adhuc concitari potest et augeri. Nemia scilicet partium solidarum C. H. distensione illarum cohaesio diminuitur, ideoque debilitantur, commonstrante id Pathologia. Fluida autem in febribus malignis sunt rarefacta (§. XIX.). Nonne ideo vaforum, in quibus fluida haec rarefacta continentur, latera a se inuicem recedunt? hanc ob causam igitur fieri poterit, vt fluida iusto diutius in vasis morentur, ibidemque temporis successu magis magisque coaceruentur siue congerantur: tunc vasa disten-
dun-

duntur, et ob eorum perdurantem distensionem fibrae vasorum muscularis relaxantur, ipsisque debilitas per facile inferri poterit; ne dicam, quod fluida in his febribus particulis causticis sint repleta. Putrefactionis ope salia vinoſa siue alcali volatile ex animalium partibus generatur, probante id chemia. Quoniam vero in eorum humoribus, qui febre maligna subiacent, putrefactio non deest (§. XVI); sequitur, ut pariter salia vinoſa ibidem reperiantur. Salia autem alcalia volatilia, quae hic ob putrefactionem extorquentur, ob massae autem humorum rarefactionem libera, subtiliora actinioraque facta sunt, per modum arroſionis agunt, quod b. BOERHAAVIUS in El. Chem. T. I. P. II. Edit. Lugd. p. 804. probat. Arroſionis ope partium solidarum cohaesio quoque deminuitur, adeoque etiam ex hoc fonte corporis robur defruietur. Quod eo facilius fiet, quum ob humorum rarefactionem salia ita nullo modo obvoluti possunt. Exque his causis adductis, opinor, patet, cur in his febribus vires tanto conterantur opere.

§. XXII.

Omnis istae partes solidae, in quibus iam in statu naturali, praecipue si febre corpus exagitatur, fluida per facile coaceruari congerique possunt, omnes istae, inquam, hanc vim ingentem potissimum patientur. Quorūm praecipue spectant cor et vasa encephali (p. pr. Physiol. et Pathol.). In omni enim febre, vti Pathologi nobis persuadent, cor nimis distenditur, sanguisque in vasis encephali copiosius coaceruatur. Quum autem in febribus malignis sanguis ob putridam humorum constitutionem rarefactus appareat (§. XIX); et totum inde corpus, cor speciatim omneque vasorum systema, prae aliis vasa excephali mirum in modum debilitentur (§. XXI. et per ant.): sequitur, ut in his maiores cordis vasorumque encephali distensiones adsint, quam in omnibus reliquis febribus. Et plures causas ad vinum effectum producendum concurrentes maiores effectus contrahere necessarium arbitror. Nonne vero inde pulsus debilis, obscurus, anxietates circa praecordia, lipothymiae, vertigines, agrypniae, affectus soporosi, variæ

riae capitis afflictiones, mentis aberrationes, motus conuulsioni
etc. trahunt originem (§. §. VIII. et seq.)?

§. XXIII.

Quae quidem debilitas, licet in febribus malignis totum corpus infestet, tamen pro ratione individualium aegri determinatum modo in hac, modo in illa parte praenaleat, necesse est; sic ut ex hac respectiva debilitate non solum hoc aut illud febrium malignarum symptomata sit acerbius, sed etiam alia exinde progignantur, quae caeteroquin in his febribus non deprehenduntur. Omnium sane morborum hoc est proprium, quod in ea parte, quam antea exagitarunt, semper debilitatem relinquant, docente id Pathologia. Quo vehementior autem morbus fuit, aut quo diutius parti cuidam inhaesit, eo maior quoque inde orta debilitas erit: semper enim effectus causis suis respondent. Quamuis itaque haec respectiva debilitas per se sola superiorum morbum redintegrare haud possit, in causa tamen erit, quod ille accidentibus aliis causis prius, aut aliis, qui in hac parte fieri potest, excitetur, et quidem multo facilius, quam si haec respectiva debilitas absulisset. Argumenti loco sunt exempla. Ex Pathologia nobis liquet, omne id, quod iusto maiorem fluidorum secretorum copiam ad intestina promouere valeat, diarrhoeam causari. Inter caeteros autem diarrhoeae noxios effectus ventriculi intestinorumque debilitas est referenda. Quod si quis diarrhoea, qua antea laboravit, intestinorum debilitatem sibi arcetuerit, posteaque vel minimam causam admirerit, quae absente intestinorum debilitate nullo modo diarrhoeam excitatset; haec quidem causa insufficiens, vna cum intestinorum debilitate diarrhoeae causa sufficiens habenda, et diarrhoea ipsa aderit. Et hoc quidem ex nulla alia causa, nisi quod ob intestinorum imo vasorum secretoriorum debilitatem, quorum lumen exinde nimis amplificatur, quae idcirco fluidis urgentibus non sat resistere queunt, perfacile maior, quam par est, fluidorum secretorum copia in canali intestinali deponi possit. Si autem in eodem sufficiens diarrhoeae causa reperiatur, inde orta diarrhoea

C

pro-

propter praesentem intestinorum debilitatem gravior, quam semper grauior causa etiam effectum proferat grauiorem, quod observationibus congruum est: et sic quoque in aliis casibus. Quoties insuper obseruamus, quempiam ex leuissimis etiam causis affectibus catarrhalibus, arginoideis, capitis doloribus affici, quia, quorum iam mentionem iniecinus, morbi in his partibus antea fuerunt, harumque partium vasorum debilitaten reliquerunt. Qui fit, vt illa amissi roboris ergo fluidorum copiae non sat resistere possint, pluraque, quam par est, recipient, nimisque distendantur, talique modo superiorem renocent morbum. Quam partium debilitatem ex morbis praegetis deriuanti, qui vitio mihi det, credo fore neminem. Alios esse casus, quibus C. H. partes debilitentur, equidem non infiior. Quin etiam arbitror, morbum hunc, qui adsuit, partibusque C. H. debilitatem attulit, propter debilitatem in parte, cui antea inhaesit, relictam, multo facilius causis quibusdam accendentibus produci posse alio. Vnde venit necessitas, in curandis morbis amissum partium robur restituendi. Quodsi igitur quis febre maligna corripitur, in cuius corpore talis respectiva partis cuiusdam debilitas locum habet, haud aliter fieri non potest, ac vt ea non in hac solum parte pree aliis emineat, sed propter hanc etiam respectuam partis cuiusdam debilitatem nonnulla febrium malignarum symptomata, quae in his partibus pree aliis maxime debilitatis exitere possunt, exacerbentur, itemque alia in febribus malignis non ita frequentiora fuscitentur et periculosisima. Insit modo, debilitas eminentioris gradus pulmonibus, persicileque inde catarrhus suffocatius accendentibus causis eum producentibus, eueniet; insit illa encephalo, et pro rerum, quae circumstant, diversitate, nunc capitis dolores acutissimi, nunc deliria vehementissima, nunc affectus soporosi, nunc insultus apoplectici etc. inde deriuant poterunt; insit tubo cibario, et diarrhoea inde emerget; insit denique vasis sanguineis, et stades inde orientur et inflammationes, quae ob putridam massae humorum constitutionem persicile in sphacelofam rununt corruptionem. Nonne igitur tot ex hoc fonte, quot ex Pandorae pyxide, proueniunt

nunt mala, vt iis enarrandis vix tempus sufficiat? Inde colligi potest, quam necesse sit, in curandis morbis, nec non febris malignis cum statum aegri praefentem intueri, tum illius statum praeteritum; eumque solum medicum, qui hoc non suseque deque habeat, successus exspectare posse prosperrimos. Sed, pro dolor! maximo aegrotorum detimento, hoc negligitur quam saepissime. Nam si hoc fieret, certa quaedam phaenomena, quae morbi naturae non respondent, tantam hanc nobis iniicerent admirationem atque obftupfactionem: quae vero phaenomena insolita status aegri praeteritus saepius nobis explanabit. Et cognitis causis eius generis symptomata saepius impediri possunt, quae alioquin miseris aegrotis vitam adimunt. Sed ad propositum meum reuertor, et quaedam adhuc in medium proferre iuuabit de salutari istarum febrium solutione.

§. XXIV.

Natura fibimetipsa relicta nullum aliud habet modum extam atroci morbo emergendi, ac si putridum ex corpore exterminatur, quod per secretionem periphericam optime fieri potest, ut sequentia argumenta euincent. Qua plus materiae putridae, quam per alias excretiones naturales e corpore proscribi potest, ea naturalis excretio in febris malignis censeri potest optima. Innumerabilibus ductibus excretoris exterior C. H. cortex abundat, quam ob causam seri peripherici excretio ingens erit, et quidem ceteris omnibus excretionibus naturalibus sumptis multo maior, vii Physiologia tradit. Quum ergo putridum in febris malignis obuium fluido lymphatico - seroso praecipue sit immisum (§. XVIII.), per excretionem quoque periphericam, nec per ullam aliam excretionem particularem, saluis omnibus aliis conditionibus, ut nempe determinato modo succedat, ex corpore expelli poterit occissime et facillime. Ex hoc itaque propositionis meae veritas clarefcit. Quum præterea excretione peripherica putridum a locis interioribus ad exteriora promouetur, vbi tamen periculofos effectus propter noxiā eiusdem indolem causari nequit,

quam si in visceribus moraretur, aut deponeretur, id quoque propositionem meam confirmabit. Quod cum tanta celeritate, quanta per transpirationem moderatamque sudoris excretionem haud fiat, ob longiorem in C. H. locis interioribus moram, atrocissimos spasmos inflammationesque periculosissimas, quae ob putridam mafiae humorum constitutionem perfacile in sphacelum ruunt, ipsamque mortem afferre possit: alias excretiones particulares et suspectas esse et nocentiores, in promptu est. Non autem vniuersalem esse propositionem meam, erunt, qui contra me insurgant, quia febres malignae per particularem vrinae excretionem nonnumquam etiam salutariter soluntur. Febres malignas nullo alio modo, ac sola excretione peripherica salutariter solui posse, nullus affirmo, quum omni experientiae repugnare: hae enim febres per hanc excretionem vniuersalem et simul per reliquas particulares, si moderato modo succedant, haud raro salutariter soluntur; ista tamen lege, vt excretio vniuersalis nunquam languescat, licet vice versa excretiones particulares languescere possint; si modo excretio peripherica bene succedat, febres malignae salutariter soluntur. Hoc demonstrato, hanc solutionem salutarem per transpirationem optime fieri, et fieri posse, sat habeo. Nemo vnuquam ex sola vrinae excretione fortunatum febrium malignorum exitum vaticinari poterit, nisi omnia alia signa simul conspicient; et vix febris maligna per vrinae excretionem suppresa plenaria transpiratione salutariter soluetur. Quoties igitur propter languescensem excretionem periphericam ingens materiae putridae copia per tenuia renum vascula vropoietica vrteresque ad vesicam vrinariam fertur, et hoc pacto ex corpore expellitur, toties propter particulas acriores in his viis irritations excitat, arrosiones atque spasmos, vti stranguria, quae in tali casu prouenire solet, luculentissime commononstrat. Nonne itaque suspecta, nonne transpiratione est periculosior? Hoc in casu vrinae excretio fortunatum euentum sperare iubebit, si excretio peripherica simul moderato modo succedat, nec tanta putridi copia in renibus deponatur. Faustum in his febribus exspectaturis euentum, curandum est, ne
haec

haec excretio peripherica plane supprimatur, nec languescat, neque ea aliaeque excretiones particulares nimio cum impetu fiant, neque exanthemata, quibus hae febres salutariter saepius soluntur, in ingenti copia prorumpant. Quod si hoc negligamus, aegri vires mirum in modum consumuntur, et ob vehementiores fluidorum motus maioremque putridi attritum ad solidas, quo illae nimis irritantur, spasmi et inflammations suscitantur, transpiratio reprimitur, putrida materia magis ad viscera desertur nobiliora, adeo, ut ibidem, pro differentia partis, apoplexia, catarrhus suffocatiuus, inflammations et sphacelationes viscera cum aliaque mala pessima et mors ipsa in instanti haud raro orientur. Quia in re obseruationes nobiscum conueniunt. Etenim si his febribus dirissimis ingulatorum corpora cultro subiiciantur anatomico, cerebri vasa sanguine nimis turgere, cerebro sanguinem inesse, qui liquameni putrilaginoso innatet, aut alia viscera, ut pulmones, ventriculus, intestina etc. in quibus etiam liquamen putredinosum offenditur, inflammatu et sphacelo obducta, reperies.

§. XXV.

Quibus expensis id aggredior, quoniam ratione plethora sanitatem harum febrium malignarum solutionem impedire, earumque euentum funestum reddere possit. Quod parte dissertationis meae secunda dilucide enucleateque ostendetur.



C A P . II.

DE

MODO, QVO PLETHORA EVENTVM
 FEBRIVM MALIGNARVM SAEPE FVNESTVM
 REDDERE POSSIT.

§. XXVI.

Salutari mörborum solutioni multa resistere seque opponere posse, est veritas sole meridianō clarior. Itaque omnino medici erit, illa summa cum attentione maximoque ingenii acumine indagare, prout in morbis acutis malignis illud valde est necessarium. Quod ipsum autem permagnum pondus habere, totamque medici curam ac diligentiam potissimum apud eos centeo requirere, in quorum vasis maior sanguinis copia reperiatur, quam sanitatis ratio exposcit, eoque febris malignis implicantur. In eiusmodi enim statu complicationis plethora saepissime in causa est, cur febres malignae, generi humano inimicissimae, euentum habeant trifiliūm. Quonodo vero et quali ratione plethora hoc efficiat, fam mīhi est demonstrandum, id quod totius rei cardo est in capite praesente. At nequaquam specialibus hic inhaerebo, sed generalia tantum ex principiis tam physiologicis, quam Pathologicis deducenda exponam, vnde specialia deriuari possunt quam facillime. Ad res igitur, quae fieri possunt, et in rerum natura vere extant, plethoram pertinere, qui inficias eat, credo fore neminem: cum, qui nunc sunt, medici in scriptis suis pathologicis hoc vnamiter afferant; licet olim fuerint, qui id negare tentarent, ast argumentis perquam infirmis. Plethoram, qui mihi concederit, eam quoque complicationem cum febris malignis rebus imaginariis annumerari haud posse, mihi largietur. Quonam vero paēto in C. H. plethora generetur, et qua ratione excretiones sanguineae suppressae naturales artificialesque consuetae neglectae etc. hoc praestent; dehinc an, et qui homines plethorici ad febres malignas

gnas concipiendas fint priores, nec ne, haec aliaque omnia
praetereo, quia cum sine, quem mihi praefixum habeo, non proxi-
me cohaerent.

§. XXVII.

In febribus malignis ob tot tantasque causas corporis vires
maximopere conteruntur (§. XXI.): praecipue cor, totumque va-
forum systema; speciatim vero vasa encephali, ob nimiam harum
partium et perdurantem distensionem humorum rarefactione fa-
ctam, nimis debilitantur (§. XXII.). In plethora etiam hoc eue-
nit, et sunt nimiae congestiones, pro diuersitate subiecti, partim
ad caput, partim ad pectus, partim ad viscera, quibus partium
istarum vasa magnopere distenduntur, et debilitantur (p. pr. pa-
thol.); omnia enim corpora, elasticitate praedita, eam amittunt,
vel ea saltet minor sit, si diu et ultra gradum expanduntur, hinc
etiam vasorum robur ob plethoram infringitur. Quodsi ergo ple-
thora iam antea adfuerit, humorumque rarefactio in his febribus
obuiu acceperit, effectus quoque inde orientur maiores et sympto-
mata vehementiora: causa enim aucta augmentur et effectus (§.
XXIII.). Quocirca in aprico est, cur in eiusmodi statu complica-
tionis omnia symptomata (§. §. XXII. XXIII.) recensita ob pletho-
ram augeri possint, imo reuera augmentur. Nam si in casu nostro
ob febrem acutam malignam et plethoram cor omniaque vasa val-
de distenduntur, et nimiae sunt congestiones ad vasa encephali
viscerumque, ad pectus et ad abdomen, quae partes omnes ob
statum praeteritum et praesentem valde sunt debilitatae, tunc fa-
cili negotio fieri poterit, vt, quia causa semper exerit effectum sibi
proportionatum, grauissimas pulmonum aliquaque viscerum, vel
cerebri inflammations, lipothymiae, vehementissimi affectus sopor-
osi, apoplectici, catarrhus suffocatiuus, aliaque mala pessima,
quae, nisi citissime opem tuleris, breui mora vitae filum abrum-
punt, inde oriantur. Nonne inde satis liquet, plethoram cum fe-
bribus malignis coniunctam euentum efficere posse funestum?

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Facultatem fibrae musculares, ob fuscitatam vim ipsius insitam, sese contrahendi (p. pr. physiol.) habent. Qua contractions non raro a sanitatis statu deflectunt, sic, ut anima nolente, certe non praecipiente aut celeriores, aut frequentiores, aut maiores euadant. *Spasnum* tunc adesse Pathologi affirmant,

§. XXIX.

Quum tot diuersae sint causae, quae spasmos in C. H. producere possint, haud immerito nimia sanguinis copia ad eorum censum referatur. A nimio, quem continent, sanguine, cor atque annexa vasa admodum expanduntur (§. XXVII). Hinc nerui vasorum parietibus interspersi, facile irritantur, ipsique parietes fibris muscularibus praediti spasmodice constringuntur. Ex congesti-
nibus praecipue ad viscera, et vasorum distensionibus inde ortis ingens totius cutis rigor produci potest (p. pr. pathol.). Qua constrictione spastica corticis exterioris seri ex eodem excretio intercipitur (constrictis enim vasibus excretoriis in cute, illorum parietes inter se coeunt, et orificia sunt imperiua), reprimitur, et si quae iam exanthemata ibidem exclusa fuissent, ad loca et viscera nobiliora repelluntur quam facillime, vbi materia haec retropulsa ob acretudinem suam inflammations, quae ob putredinam humorum corruptionem, per facile in sphacelum ruunt, producit lethiferas. Vide hinc quoque, ex hoc fonte eventum propullulare lugubrem. Probe annotandum est, me hic istos affectus spasticos non intelligere, quae ante exanthematum eruptionem subinde enire solent, eadem saepe in conspectum producunt, morbumque ipsum solvant; sed eos potius, qui ex solis nimis congestionibus ad viscera, vasorumque distensionibus, praecipue qui ex conges-
tionibus ad ventriculum et intestina originem ducunt.

§. XXX.

Ad se- et excretiones omnes, ideoque etiam sudoris, rite peragendas, inter alia praecipiente id Physiologia requiritur, vt
vasa

vasa serifera eaque excretoria, quae ad cutem tendunt, neque sint
compreensa, neque constricta. Sed a plethora vasa sanguifera ma-
gnopere distenduntur (§. XXVII.), quo vasa serosa atque excreto-
ria valde comprimantur necesse est. Vasis autem seriferis atque
excretoriis, quae ad cutem flectunt, iam compressis, difficulter se-
rum per ea enacuabitur, aut, quod idem est, transpiratio erit
difficillima. Ast vasorum diffensio, seroforum atque excretorio-
rum compressio, cum in febribus acutis malignis ex pluribus ad-
huc causis produci possit et augeri (§. §. XIX. XXI.); sequitur
vt in eiusmodi complicatione excretio peripherica male succedat.
Quodsi igitur ex antea dictis excretio peripherica aut retardari, aut
plane suppressi possit, et plethorae adsin gradus, eaque vel minor
vel maior esse possit, hinc etiam eius effectus hos sequuntur gra-
dus, et febres malignae per hanc excretionem periphericam sol-
lunntur optime (§. §. XII. XXIV.); prono inde fluit aliue, si ob
plethoram in febribus malignis excretio peripherica supprimatur,
id eueni posse et debere, quod (§. XXIV.) dictum est, ideoque
plethoram in causa esse posse, cur febres malignae euentum ha-
beant funelatum. Quocum etiam obseruata probe conueniunt.
Quautam stragem edunt febres acutae malignae eamque amplissi-
mam, quando post suppressam transpirationem graues viscerum in-
flammationes, insultus apoplectici, affectus soporosi, vehementissi-
mae conuulsiones, catarrhus suffocatiui etc. quae omnia pericu-
lum adangent quam maxime, mortis fores pandunt, oborian-
tur. Quod insuper extispicia his febribus defunctorum satis abun-
de docent, ex quibus apparet, in iis modo hoc, modo aliud
viscus sphacelo esse corruptum. Etiam se – et excretiones natu-
rales non rite perfici possunt, si vasa iusto suo robore sunt destitu-
ta. Ex quo iam liquidum erit, plethoram cum febribus malignis
complicatam earum solutioni maxime salutari hoc quoque respe-
ctu, nempe ob ingentem debilitatem vasis C. H. induciam, ob-
uersari producereque posse, vt aeger satis cedat.

§. XXXI.

Ob plethoram, vti Pathologi docent, facile C. H. ingenerantur inflammations. Plethora nempe vasa valde distenduntur et debilitantur, quam distensionem et debilitatem inde ortae congestiones ad viscera multo magis augent, hinc vasa et viscera tono despoliantur, quare lympha ad nutritionem iners fit, et vires in dies decrescunt. Inde, si in C. H. adhuc viget plethora, per facile stases produci queunt, stases autem sufficere ad inflammations progignendas, Pathologi rursus commonstrant. Quod omne eo facilius et citius obtinget, si vasa nimis sunt debilitata, si plethora est cominota, si sanguis particulis acribus scatet, et rarefactus appetat. Per plethoram igitur vasorum tonus ita labefactatur, vt denique omnem fere resistentiam amittant, praesertim in vasculis minimis, quae demum humorum copia infarcuntur, atque ita stases et inflammations concitantur, eaque acritudine acceleratae, quia vasa irritantur et crispantur, id quod humores in maiori quantitate aduocat, et inflammations gignit. Vbi enim irritatio, ibi quoque est affluxus, haec est perpetua lex, a qua nulla datur exceptio, oeconomiae vitalis. Ista stases autem et inflammations in illis partibus facilius generantur, quae inter reliquias debilitate eminent, quod per se patet. Summopere itaque oportet medicum de omnimoda individui aegrotantis determinatione esse sollicitum, nisi fibimetipsi imponi velit. Quodsi autem sanguis insuper est rarefactus, tunc istae stases et inflammations multo velocius orientur, quod vnicuique notum erit, sic vt demonstratione supersedere possim; nimius enim forem, si omnes effectus hic enarrarem. Sed ad propofitum. Hic autem, vti mihi videtur, nihil amplius desideratur, nisi vt generalia supra adducta ad febres malignas cum plethora complicatas adipicem, quo facto maxime erit perspicuum, febres malignas per se iam proclives esse ad inflammations contrahendas (§. X.), multo magis autem, si plethora cum iis simul sit coniuncta. In febribus enim malignis sanguis particulis abundat putridis (cap. praeced.), et tenuis et nimis est dissolutus (§. XIX.), propterea maius occupat

pat spatiū, hinc ratione mensurae aequalis erit sanguini plethorico. Sanguis igitur hic rarefactus et expansus aequales effectus, licet antea iusta adfuerit sanguinis quantitas, conflabit cum plethora. Itaque solum et propter vasorum debilitatem enasci possunt stases et inflammationes, quae multo ocyus, si plethora accedit, suborientur (p. anteced.).

§. XXXII.

Nunc adhuc supereft ostendere, quanta mortis pericula immincent, inflammationibus in casu nostro excitatis. Febres inflammatoriae semper malignis maiorem secum ferunt horrorem (p. pr. pathol.). Ergo transpiratio ob febrem malignam supprimitur, quod eo facilius accedit, si horror propter inflammatoriam eo tempore veniat, quo ob malignam sudor erumpere solet. Materia autem transpirabilis particulis putridis repleta, si sanguinis massae iterum immiscetur, tam celeri gressu in putredinem ruit, ut saepius intra viginti et quatuor horas de vita sit conclamatum. Qua de re exempla hic proferre nimis longum, imo superuacuum videtur, cum id quotidiana praxi satis superque comprobetur, et inter plebeios etiam notissimum sit, desperandum esse de vita, si in acutis malignis transpiratio reprimatur. Huc accedit, quod materia retropulsa plerumque ad loca inflammata deseratur, vbi illa rodendo agit, et inflammationes eiusdemque effectus auget mortiseros. Fieri etiam potest, vt ista materia retrogressa cerebrum, pulmones, diaphragma etc. feriat, vnde etiam lethiferi effectus concitari possunt (§. XXVII.). Inflammationes autem istae, quum humores ipsi ad putredinem iam maxime sint proni, in gangraenam et sphacelum transibunt, et mortem nonnunquam tempore inducent brevissimo. Qua in re obseruationes nobiscum consentiunt. Ii enim, qui antea iam fuerunt plethorici, si his febris corripiantur, semper in maximo versantur periculo, et haud raro succumbunt. Huic sententiae etiam *III. PRINGLE* suffragatur in Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, Kap. 7., qui in cadaveribus his febris denatorum dissecatis,

cerebrum plerumque inflatum, et modo in sphacelum inflammationem abiisse, modo in abscessum vel purulentum vel ichorsum intenit. Et WEPFERS de Cicut. Aq. historia: Ego, inquit, et mecum alii non sine valetudinis damno in cadaveribus maligna febre interemitorum dissegit, pulmonum, hepatis, aliarumque partium interiorum inflammaciones reprehendimus. Nemo igitur erit, opinor, qui longius dubitet, quin plethora cum febribus malignis complicata etiam ob hanc causam euentum conflare possit funestum.

S. XXXIII.

Sic tractationem hanc, sub Diuina gratia, ad finem perduximus. Monendus vero adhuc es, Optime Lector, me therapeuticae casus nostri partem neglexisse. Sed nec instituti mei id erat, quam vnicce de plethorae in complicatione hac effectibus scribere, apud me constituissem; nec arcti huius opusculi limites id paterentur. Ceterum non dubito, quin iam prolata satis sufficiant ad distincte cognoscendum modum, quo plethora euentum febrium malignarum inducere possit funestum. Multa quidem adhuc supereffete exponenda de hac re, perbene scio, sed cum temporis et spatii ratio habenda sit, et haec singularem eamque prolixiorum postulent tractationem; ego autem modo suscepimus de generalioribus differere: omnia specialia mittam, reliquaque, quae ex supra dictis adhuc deduci possunt, cuiuscunque veri nominis medici acunim relinguam, et hic dissertationi meae addicturus sum colophonem.

Archistro summo sint dictae ex pectore grates,

Firmis quod nostras inservit esse preces;

Sic porro serua mentem cum corpore sanam,

Nostris sic studiis perge fovere, Deus.

E R R A T A.

Pag. 11. lin. 16. mortalis, *lege mortales*
— 15. — 13. sufficientem — sufficientem

ULB Halle
003 249 530

3



56.



DE
E V E N T V 1775/15
FEBRIVM MALIGNARVM
SAEPE FVNESTO
OB PLETHORAM

EX AVCTORITATE
ET CONSENSV INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
Pet R A E S I D E
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO
POTENTISSIMO BORVSSOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS,
MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
FACULT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO,
ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.
NEC NON BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI,

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
SOLEMNITER CONSEQUENDIS

D. . IVLII MDCCCLXXV.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS IMMERMANNVS
STENDALIENSIS.

HALAE SALICAE AERE HENDELIANO.

4)